

II. Ad Timotheum

G hærere consuevit. Dixi ut cito venias ad me, & cū
veneris, [assime Marcum & addue tecum.] Itē
est Marcus euangelij scriptor, vel sicut magis cre-
dimus, iste est Marcus consobrinus Barnabæ, quē
nūc correttum iubet Apostolus adduci: quia quō-
dam abiecerat eum, cum esset negligens ac tepi-
dus. [Est enim] (inquit) [nūhi] vtilis in ministerio
prædicationis, qui quandam ad hoc fuit inutilis.
Titus abit [vt dictum est] in Dalmatiā, fed [Ty-
chicum mīli Ephesum,] fortasse cum epistola quē
ad Ephesios est directa. Penulam quoque, id est, ve-
stem illam quē sic vocatur, [quam reliqui Troa-
de apud Carpum] discipulum meum, qui ibi ma-
net, [veniēs adfer tecum.] Dicamus de hac penula,
quę ab aliis dicta reperimus. Penula vestis erat
cōfularis, qua induebantur Romani consules in
curiam intrantes. Sed fortasse querit aliquis, vnde
hoc genus vestimenti beato Paulo acciderit, cui
respondendum est, Romanos ante incarnationem
Christi hunc habuisse morem, quando sibi mo-
nachiam totius orbis acquirebant, vt quæcum-
que gens illis cum pace & coronis occurrisset, e-
iusmodi libertatem eis concederent, vt fratres il-
lorum dicerentur, ciusque Romani appellaren-
tur, dabatque eis potestatem, vt curiam edifica-
rent & consules haberent, sicut illi habebant. Pa-
ter igitur beati Pauli de Giccali oppido Galilæa,
vnde indigena erat, migravit Tharsum Cilicię,
cū Romani cepissent illud oppidum. Quodam
vero tempore venientibus Romanis per Ciliciam,
occurrit eis cū aliis transeuntibus, vt pote qui no-
bilis inter illos habebatur, & exceptit eos cum pa-
ce. Tunc Romani dedere eis supradictam liber-
tatem, scilicet potestatem vt curiam edificaret &
consules haberent, sicut ipsi, vestesque consulares
induerent, & penulati more Romanorum curiam
intrarent. Ibiq̄ data est insigne penula à Romanis
patri beati Pauli, quando suscepimus est in sociū
& ciuem Romanum. Hęc ante nos scripta sunt, &
fides veritatis horum apud eos sit qui scripserunt.
Non enim omnia quae facta sunt, legimus in no-
stris historiis: multaque noscuntur esse historiae
quas nō nouimus. Nam & his quae dicta sunt, valde
consonat quod Paulus frequenter in apostolorum
Actibus legitur se Romanum appellasse, &
maxime vbi tribunus interrogavit eum, dic mihi
si tu Romanus es, & ille dixit, etiam. Et respondit
tribunus: Ego multa summa ciuitatem hanē cō-
secutus sum, & Paulus ait, Ego autē & natus sum.
Quomodo enim iuxta literam verum potest esse,
quod Paulus ex ciuitate Romana sit nat⁹, nisi quia
ex ciuitate Romano natus est? Absit autē vt putemus
eum in hoc sermone mēdacet. Natus ergo est in
ciuitate Romana, id est, in domo parentū, qui erāt
ciues Romani. Sed & iuxta spiritalem intelligentiam,
in eo quod se dixit natus in vrbe Roma,
prophetico spiritu prænunciavit, natalium sua
passionis in illa ciuitate futurum, & verbum præ-
teriti temporis pro verbo futuro posuit. Si ergo
vera sunt quae de penula præmisimus, facile est a-
nimaduertere quod Apostolus hāc idcirco afferri
iussit, vt per eam apud Romanos licet paucō tē- K
pore, libertatem sibi vendicaret, quatenus ad pre-
dicādum libere quo vellet, ire posset, & multos ad
fidem per diuerſa loca cōuerteret. Ait itaque Pe-
nulam quam reliqui Troade apud Carpū, veniens
adfer tecum. Hunc Carpum Dionysius multum
in epistola ad Demophilum laudat, referens quā-
dam valde mirabilem eius visionem. Penulam, in-
quit, adfer [& libros] quos ipse forsan ibidē re-
liquerat, [maxime autem & membranas, id est,
pelles ad scribendum (quas tamen Hieronymus
aliter interpretatur) aptas.

Alexander ærarius multa mala mihi
ostendit. reddet ei dominus secundum ope-
ra eius. Quę et tu devita. valde enim re-
stitut verbis nostris.

Scias quod[Alexander ærarius, id est, faber æris
vel custos ætrij, ostendit, id est, fecit] mihi mul-
ta mala] sed non impune, quia [dominus reddet
ei secundum opera eius] quæ in me operatus est.
[quem & tu devita,] ne tibi fiat impedimentum,
quia[valde restitut verbis nostris, & multo magis
poterit restitue tuis. Non ait, valde restitut nobis:
sed, verbis nostris, id est, euangelicæ prædicationi,
quod multo grauius quia non hominibus restitut,
sed euangelio dei. Nec ait, reddat ei dominus se-
cundum opera eius, sed reddat, quod verbum pro-
nunciantis est, non imprecantis.

In prima mea defensione nemo mihi ad-
fuit, sed omnes me dereliquerunt. non illis
imputetur. Dominus autem mihi assit &
confortauit me, vt per me prædicatio im-
pleretur, & audirent omnes gentes. & li-
beratus sum de ore leonis. liberabit me do-
minus ab omni opere malo, & saluum fa-
ciet in regnum suum cælestē, cui gloria in
secula seculorum. Amcn.

Multoties, inquit, ductus sum ante Neronem
pro defensione fidei, sed [in prima mea defensio-
ne, id est, quando ante tyrannum illum prima vice
defendi euangelium, [nemo, id est, nullus ex disci-
pulis meis [adfuīt mihi,] vt me adiuaret coram
Nerone ad defendendum dogma Christianorum,
[sed omnes me dereliquerunt] metu supliciorū,
[non illis imputetur] hoc à deo, sed ignoroscatur.
Non orabat pro Alexandro, qui inuidientia fra-
ternitatem oppugnando peccauerat: pro his autē
qui non abruperant amorem, sed timore succubuer-
unt, orat vt eis ignoscatur. Multū enim interest,
cū post agnitionem dei per gratiam domini no-
stri Iesu Christi quisquam oppugnat fraternitatē,
& aduersus ipsam gratiā qua recōciliatus est deo,
sicut intelligitur Alexander fuisse, inuidientia fa-
cibus agitur: & cū quis à fratre amore non alie-
nauit, sed officia fraternitati debita per aliquā in-
firmitatem animi nō exhibet, sicut nunc discipuli
timore

Colof. 4.

H

Actu. 16
22. & 23.